


Vc
3110



21.



AD
ILLVSTRISSIMVM ET POTEN-
tissimum Principem ac Dominum,


DN. CHRISTI-
ANVM, DVCEM SAXONIÆ,
LANDGRAVIUM THVRINGIÆ,
Marchionem Misniæ, & Burggravium Mag-
deburgensem &c. Dominum suum clemen-
tissimum, Sacri Romani Imperii ELECTO-
RATUM, & Saxonix suæ insignia
adeuntem:

CARMEN GRATULATORIUM,
Faustæ & humilimæ Acclamationis gratia


Conscriptum

à

IOHANNE CELICHIO,
LL. studioso.



WITEBERGAE
Typis Gronenbergianis.
Anno 1601.





Xoptata dies & venit amabile tempus,
Ocyùs Imperii binos attollat ut enses,
Frænâque Saxonîæ Dux ingens debita poscat:
Ergo agè magnanimi dignas mens carmine
laudes

Principis, & decora alta canam, qui mollia nobis
Otia Musarum confert, sedésque ministrat.

Rursus ab integro Septem nunc ordo virorum
Nascitur, haud quicquam cernit quo clarius orbis
Nunc ô Roma tuus, summè & quo maxima floret,
Et stetit inconcussa diu Germania fulcro.

Tu modò præstò tuo Genitor cum Numine sancto,
Sublimi faveas Domino dominator olympi:

Christe fave cœptis, tuus est qui munera prensat,
Téque adeò decus hoc, te præside, lora capeffet.

Haud fera turbabunt duce tali flamina terras,
Séque metu & vanâ Saxo formidine solvet.

Námque gubernaclo rector, rerúmque magister
Ipse aderit, placidâque suos in pace tenebit;
Quem genus heroum, atque ardens sub pectore virtus
Excitat, & multa sistet mox luce coruscum.

Ipse inter mundi dominos, qui laude repostos

A 2

Comple-

Complevere sinus Arabum, Garamantas & Indos,
(Moribus & magna resplendens indole mentis)

Æquabit citiùs, condétque per æthera nomen.

Ipse suis idem, æquali moderamine cives,

Et sub lance pari reget, atque ut pœna reatum,

Et sceleris puros victoria iusta sequatur,

Subjectòsque sibi foveat clementia cœtus.

O regio felix igitur tot dotibus aucta,

Relligio quam vera beat, quam Numina servant,

Dúxque patrésque pii, virtus quibus unica cordi est,

Et stygii qui tecta Iovis mendacia vitant.

Quos pone consecrans vulgus, pubésque minorum,

In studia & mores procerum contendere rectâ

Affuescet, cupidique ruent in honesta nepotes:

Converso donec surgat gens aurea mundo.

Vnde sacrata quies, altæque silentia pacis

Pérque domus stabunt & culta nitentia ruris:

Hostili ut facies turbet non ulla tumultu

Otia, quæ pleno demittet tramite cœlum.

Scilicet artificum sparsas monumenta per urbes,

Mirandæque iterum florescent Palladis artes:

Nunc quoque Castalides perfecto carmine Musæ,

Atque opere ingenii per Saxonis arva virebunt.

Palsim & mella fluent & lactis flumina campis,

Ac

Ac vinosa suis ibunt acheloia ripis:
Flava Ceres, tellusque etiam sua pignora sponte,
Cunctaque liberius nullo poscente refundet:
Najadis ut dives cum cornu copia certet,
Mireturque suas per regna colonus aristas.

Talia secla precor, Christo duce, & auspice Christo,
Secula Saxonicae currant felicia genti.

Aggredere hæc ergo cupidissima regna tuorum,
Et celera ô magnos, instat jam tempus, honores,
Dux atavis præstans atque Illustrissime Princeps:
Maeste animis, en pansa tibi nunc brachia tendunt
Oppida Saxoniae, pecudumque hominumque pha-
langes:

Maeste animis & corde alto, cape, collige fasces,
Ut tua de tanto lætetur Principe pubes.

Hæc ego, cum populo plaudens, distorta videntur,
Carmina lætitiæ lusi testantia nostram:
Quæ precor accipias, subjecti tenuia quamvis
Pignora, nam majora dabit divina Potestas,
Imperium felix, longævi & Nestoris annos.

E C L O G A.

Villicus Et Sylvester.

ERgo effusa ferunt lætæ quid gaudia gentis?
Quid juvenum numerosa cohors & turba virorū?
Armorūq; parat nobis quid Martius ordo?
Buccina clarescit longè, clangorq; tubarum,
Et pulsata fremunt horrendum tympana campis:
Hinc tormenta globos & sæva incendia reddunt,
Corruere immensus latè videatur ut orbis:
Illinc arva quatit Sonipes, glomeratque superbos
Ingrediendo pedes, cervicēq; arduus effert.

Quin nova temperies, atq; vndiq; lucidus æther,
Per juga Saxonix, tractusque urbēsque refulget:
Iam quoque ridet ager, plaudunt arbusta, nemusque
Arboribus fœtum sacris sua culmina jaëtat:
Ecce, sua exultans nunc amnis fluminis unda,
Agmine quàm placido fluit & mitissimus exit:
Nūc quoque festa feræ, volucrumque exercitus omnis,
Balantumq; greges, pecudumq; armenta frequentant:
Nōne vides qua luce ferat se luminis auctor?
Iam magis ut solito Phœbus fulgore coruscet:
Aut natalitios credo celebrabit honores,

Aut

Aut magna hæc aliquid portendunt omina magni.
Huc Sylvester ades, rerum quid portat imago?
Fare agè, si nosti, sapiunt namque omnia plausum.
SYLV. Qualis ad undosam ramis felicibus Albim,
Exierit prisco VVidechindi è stemmate sylva,
Villice, sæpe tuas credo pervenit ad aures.
Extulit hæc cœlum robusta cacumina versus,
Aërios superans sublimi vertice montes,
Hanc penes ut rerum maneat, nemorumque potestas.
Venit ab hoc quondam Fridericus semine Princeps,
Haud quisquam pietate fuit quo clarior alter.
Ille salutiferos referendo dogmata fontes,
Relligionis opes nobis, præeunte Luthero,
Restituit, magnóque ausus se opponere mundo.
Posterior quos deinde tulit rerum ordo Nepotes,
Et mirata suos hos est Alemannia cives.
Námque sua subter latitantibus arboris umbra,
Impolluta feris arvorum gramina præstant,
Ac puros placido fluitantes murmure rivos:
Neu corrupta situ demittant prata palato,
Néve bibant quamvis cœnosi fluminis undam.
Ergo etiam pax alma viris & vomere glebas
Exercere datum est, crevit Germania cultu,
Vndique & inventas didicit feliciter artes:

Nunc

Nunc adeò ut veteri mutato sidere Musas,
Ad septem penitus videas migrasse triones.

Sed fera tempestas atque inclementia Parcæ,
Illius horrifono concusserat impete robur:
Summus apex, splendorque acri quo concidit ictu.
Post tandem varios hominumque boumque labores,
Formam excellentem Cedrus prædicta resumit,
Tergeminósque apices, quibus altam Saxonis ora
Lætitiâ, fortémque animo spem pressa recepit.

VIL. Anne igitur nûc fræna manu, fascésque capesset?
Imperii virgultum illud quod nobile surgit,
Híc ubi mole sua stant alta palatia regum;

SILV. Sic puto, per lucum tendens huc fortè viator,
Qui maria & terras pretio conductus oberrat:

Is mihi sic retulit, nec vanum credere, cùm jam
Hæc arbor bis dicta novem compleverit annos.

VIL. Quæ nova præterea peregrini nuncius orbis
Attulit? illorum an pacis stant otia terris?

An verò Martísque metum, bellique tumultus,
Undique quos nostris immittit Thracia, lugent?

SYLV. Nil equidem de pace mihi, rebúsque suorum,
Nec quæ fortè locis fiant hinc inde repostis

Rettulit, una erat at nobis oratio Dresda,
Dresda Ducis magni quæ est munitissima sedes:

Hic

Hic mihi spe, dixit, terrasque & regna repleti
Proxima quæque nova nostri super ætheris astro.

Nam mare turbarum cum nostris horreat agris,
Et diversa premant jam fata Tuisconis arces,
Fundamenta suo nutent ut pondere regni.

Haud etenim ignoras fraudesque artesq; malorum,
Quas serat ad thuscum Tyberim fera bestia Romæ,
Possit ut immeritam Christi pervertere gentem,
Aut, hoc si nequeat, scelerato excindere ferro.

Parte Mahommedes alia quatit improbus arva
Pannonis, atque urbes lachrymis & cædibus implet:
Immòtuis felix quæ nunc Germania rebus,
Dii prohibete minas, cladem molitur ab ortu.

Aspice ut invertant divini oracula verbi,
Ingenium queis vile domi, & quibus improba mens est;
Non unquam ut versuta magis confecerit antè
Retia, dux scelerum stygijs qui præsidet undis.

Principibus nunc ergo viris, qui pectore præstant,
Quique animis valeant, opus est tibi Teutonis ora,
Arte ruinosas ut rerum avertere moles,
Et mala præsentis possis componere secli.
Deinde opus est nummis & Cræsi divite cista,
Atque opere armorum & florentibus ære catervis,
Quæque solet varii deposcere temporis usus,

B

Possis

Possis ut invicto perfringere Marte feroces.

Talia sublimis prælustria vimina D R E S D A.

Educat, & monitis quæ communivit & arte

Patruus, ut pueri biberent virtutis amorem,

Patruus haud proavis cedens pietatis honore.

Præterea res amplæ illic, aurique recumbunt,

Argentique simul montes & pondera nummum,

Armæque, Turcarum diro metuenda tyranno.

Viderat Italiæ quæ surgunt oppida cælo,

Et tua terrarum dominatrix mœnia Roma,

Nuncius ille meus, celsas & viderat urbes,

Quas ope Palladia construxit Gallica tellus.

Restitit aspectu muri hîc cum turribus altis,

Et portas vallumque super, fossamque profundam,

Et regale stupens tectum, nec mœnia Trojæ,

Nec Phæacum superasse illas quôdam autumat arces.

Immò quid in nostris hominum prudentia rebus,

Mortalésque manus valeant, penetralibus altis

Artificum monumenta virum, & miranda videri

Naturæ simulacra illic, artésque ferebat.

Has si divitias, hæcque ardens robora virtus,

Et fortuna comes contingat, quæ inde feraces

Gloria Saxonæ terras, laudésque sequentur:

Quod precor, & si quid veri mens conjicit oro,

Nulla

Nulla unquam ut famæ tantorum detrahat ætas
Heroum, stellis donec micat undique cœlum,
Et mare præcipites toto trahit æquore fluctus.
VIL. Hæc eadem ipse etiam votis ardentibus opto,
Flumine dum pisces atque aggere continet undas
Albis, & alituum pennis genus æthera pulsat;
Semper ut hæc maneat stirps fortunata, nec usquam
Cedat honos, laudumque decus, splendorque perennis:
Atque eadem hæc ut Christe tuo nunc omine firmes.



715



10. 3. 1710

Atque eadem haec in Christe nunc omne
Cedit honore, laudumque decus, plene ordine
Staret ut haec maneat si posturata, nec inquam
Albis, & alium peris, & alium peris
Plumine dum pice, & alium peris
V. l. Haec eadem ipse etiam vobis ardentibus opo
Et mare precipites toto trahit & quare hucus
Hic eorum, itellis donec nicae undique colunt
Nulla undquam ne tantum tantorum decet haec etas



Me



Molla
Herc
Er ma
Vil
Stum
Albis
Cedar
Ardue

ULB Halle
004 789 199

3



VD 77





q. n. 28, 6.

ILLVS
tisi
DN
ANV
LAND
Marchi
deburg
tissimu
R
C
Fausta
I

Inches
Centimetres
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20


KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



TEN.
m,
TI-
NIAE,
NGIAE,
m Mag-
clemen-
LECTO-
nia
M,
s gratia
O,

Vc
3110

